

XIX  
IN BACCHVM  
*Strophe Alcaica*

Bacchum in remōtis carmina rūpibus  
Vīdī docentem (crēdite, posterī !),  
Nymphāsque discentēs, et aurēs  
Capripedum Satyrōrum acūtās.

Euhoe !, recentī mēns trepidat metū,  
Plēnōque Bacchī pectore turbidum  
Laetātur. Euhoe !, parce, Līber,  
Parce gravī metuende thyrsō !

Fās pervicācēs est mihi Thȳiadas,  
Vīnīque fontem, lactis et ūberēs  
Cantāre rīvōs, atque truncīs  
Lāpsa cavīs iterāre mella ;

Fās et bēatae coniugis additum  
Stellīs honōrem, tēctaque Pentheī  
Disiecta nōn lēnī ruīnā,  
Thrācis et exitium Lycūrgī.

Tū flectis amnēs, tū mare barbarum ;  
Tū sēparatī ūvidus in iugīs  
Nōdō coercēs vīperīnō  
Bistonidum sine fraude crīnēs.

Tū, cum parentis rēgna per arduum  
Cohors Gigantum scanderet impia,  
Rhoetum retorsistī leōnis  
Vngibus horribilīque mālā ;

Quamquam, choreīs aptior et iocīs  
Lūdōque dictus, nōn sat idōneus  
Pūgnae ferēbāris ; sed īdem  
Pācis erās mediusque bellī.

Tē vīdit īnsōns Cerberus aureō  
Cornū decōrum, lēniter atterēns  
Caudam, et recēdentis trilinguī  
Ōre pedēs tetigitque crūra.